



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

3 De exercitio Intellect[us] circa verba.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

*sapientia.* Incommodi datius est in illis  
 verbis Genesios de nuditate Noe à Cham  
 filio publicata: *Cum didicisset, ait scriptura, Gen. 9.*  
*qua fecerat ei filius minor.* Sic enim loquitur *hom. 29.*  
 B. Chrysostronus in illa verba. *Cognouit*  
*Noe, qua fecit SIBI. magnam & intolerabi-*  
*lem rem discere voluit, fecit sibi.* Et paulo post:  
*Vidisti, quomodo nihil temerè & fortuito in*  
*diuina scriptura continetur. Qua fecerat sibi,*  
*inquit.*

De Exercitio Intellectus circa  
 Verba.

C A P. III.

**I**N Verbis, primo considerandum est eo-  
 rum significatū, propriū nē sit, an trans-  
 latum, sicut supra ostendimus de verbo  
 COLLIGENDI.

2. Obseruandus est **MODVS**, vt facit  
 S. Chrysostronus in verba Matthæi. *Dic,*  
*Et hi duo filij mei sedeant, vnus ad dexteram*  
*tuam, & alius ad sinistram in regno tuo.*  
 Modo enim imperandi, inquit, **DIC**, de-  
 clarabat ardens suum desiderium in hac  
 petitione.

3. Potest notari & **TEMPVS**, vt in illo *Cap. 27.*  
 loco Matthæi. *Si filius Dei est, descendat*

L 4 nuno



*nunc de cruce.* vbi cum videantur subiicere debuisse in futuro : Et credemus ei ; tamen subiecere in presenti , & CREDIMVS ei, vt declararent certo se conuertendos, si descenderet

4. ET tempus imperfectum : quod non solum significat operis imperfectionem, sed etiam actione successiua continua longiorem durationem , vt apparet in illo B.

*Luc. 4.* Luca. ET AGEBATVR à Spiritu in desertum; significat enim eum non tantum coepisse moueri versus desertum, sed toto itinere à Spiritu impulsū donec ad desertum peruenisset. vt liquet & ex illa alia loquendi forma *Ductus est in desertum* At in actionibus successiuis interruptis , designat eiusdem rei iterationem, vt patet in voce usurpata à B. Matth. At illi magis CLAMABANT; nam S. L V C A s bis repetitam dicit vocem.

*Ioan. 19.* CRUCIFIGE, crucifige & S. Ioannes : *Tolle, tolle*, id est. in crucem age. Similiter liquet in tentationibus dæmonis in deserto factis, quia enim fuerunt minimum tres, S. MARCVS dicit. ET TENTABATUR à Satana.

*Matth. 1.* 5. SOLET quoque scriptura loco futuri vti non solum presenti , vt in illo Ioannis. *Ioan. 3.* *Qui credit, non IUDICATUR* pro non iudicabitur;



cabitur: sed etiam præterito, ut ibidem: *Qui non credit, iam iudicatus est*, pro, iudicabitur. Idque facit, ut tam certo sciamus futurum, quam si iam esset præsens.

Nonnunquam Verbum subministrat gratiam aliquam sententiam, si sit Actiuum, nam ex verbis B. Marci. *Statim Spiritus Expulit eum in desertum*, colligi potest, gratiam præuenientem à solo Deo, nulla nostra cooperatione, vel merito interueniente, proficisci. Nonnunquam etiam, si sit Passivum ut in dicto B. Lucæ. *ET AGEBA- TUR à Spiritu in desertum*. ex quo colligi potest gratia concomitans, vel adiuuans. Verbum enim *AGI* indicat eum fuisse impulsus, & ductus, qui autem ab alio deducitur, ducenti cooperatur sequendo, vim impellentis, ut accidit iis, qui viventorum impulsu, celerius progrediuntur.

Quandoque vim sententiæ auget Verbum, si sit Impersonale. Exempli causa. Christus dixit ad Saulum in Actis: *Ingrede civitatem, & DICETUR tibi, quid te oporteat facere*. Vbi sciendum est, eum à Christo missum ad Ananiam, quem in visione, ut ibidem dicitur, demonstravit. *Et vidit virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus*. Atque ideo videtur debuisse